DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

LACTE HUMANO.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE LACTE HUMANO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES MILLER,

SCOTUS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN.

SOCIUS HONORARIUS, ET

SOCIET. NATUR RER. CURIOS. EDIN.

SOCIUS ORDINARIUS.

"*Exiguus tenero lac bibit ore puer.*"

OVID.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC V.

AMITÆ MARITO,

JOANNI MACKENZIE,

VIRO

INSITIS INGENII VIRIBUS

ET ANIMO VIRILI

INSIGNI;

NEC ULLIUS IN VERBA MAGISTRI JURARE

ADDICTO;

AD *IRVINUM*,

IN PRÆFECTURA *AERENSI*,

MORBOS

TAM MEDICINA QUAM MANU FELICITER

CURANTI;

CUJUS

CONSILIO ET AMICITIA

AB INFANTILIBUS USQUE ANNIS

USUS EST;

HANC DISPUTATIONEM,

GRATI ANIMI

MONUMENTUM,

D. D. D.QUE

JOANNES MILLER.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

LACTE HUMANO.

PROOEMIUM.

I. QUAM parvis à principiis vitam inchoat superbus rerum dominus! Duris matris nixibus et doloribus natus, infans primum à vagitu spiritum incipit, imbecillus, nudus, omnium inops; simulque innumeris malis adeò obnoxius, ut, sine piâ parentum curâ, statìm periret.

II. Neque teneram tamen prolem alma destituit Natura. Matres enim, insitâ caritate

motæ, ex se natos miro amore diligunt, et tenerrimâ ac indefessâ curâ eorum saluti provident. Gremiis enim fovent, alienisque vestiunt opibus, ut à frigoribus tutentur; iisque simul ex mammis lac dulce et jucundum præbent, quod famem et sitim expleat.

III. Per complures menses, lac matris infanti solum ferè alimentum est atque voluptas. Ex eo tener infans partem vertit in proprium sanguinem, quo increscat molle corpus, ac fiat idoneo tempore aptum, quod valentiore materiâ nutriatur. Utì autem ex matris lacte infans primum accipit alimentum, ità primam sæpè futuræ firmitatis originem, invaletudinisve et morborum labem derivat.

IV. Cùm ità sit, lac humanum res digna mihi videtur, de qua pauca scribam. Ut, quæ de hac re scripturus sum, ea ordine perluceant, mihi consilium est, primùm paucis describere mammas; expedire, undè certis temporibus augescant; exponere, quomodò lac secernant; et memorare, quibus morbis pateant: dein ostendere, qualis humor sit lac humanum;

humanum; quibus cæterorum animalium lacti differat; et undè cognoscant medici, an sit bonum: tùm inquirere, ad quid utile sit; et nùm infantes eo nutriti feliciùs crescant, an sorbitionibus, aliorumve animalium lacte aliti: postremò explicare, quibus notis lac cognoscatur malum; quibus causis vitietur; quibusque infantes malis afficiat vitiatum. Has ordine partes, pro virili, persequar.

PARS

PARS PRIMA.

DE MAMMIS.

v. Priusquàm distributè de lacte dicamus, res videtur poscere, ut cursìm explicemus, quâ fabricâ mammæ sint; quâ ætate augescant; quo modo, et undè lac secernant; et quibus malis sint opportunæ.

CAP. I.

De mammarum fabrica.

vi. Mammæ sunt glandulæ conglomeratæ; figurâ globosæ; à priore, et exteriore thoracis parte, sitæ; per telam reticulatam, majoribus musculis pectoralibus levitèr adnexæ.

Maribus,

Maribus, pariter atque fœminis, binæ sunt; at illis exiguiores, *MAMILLÆ* appellatæ.

VII. An speciei tantùm, an etiam utilitatis causâ, maribus mamillas dederit Natura, nondùm satìs constat. Censent BOHNIUS, atque ORTLOBIUS, à quibus haud dissentit MORGAGNUS, mamillas maribus ità à Natura datas esse, ut, saltem unà cum aliis glandulis, *amnii* humorem secernant et augeant *. Opinati sunt ARISTOTELES et GALENUS, mamillas à Natura eum in finem maribus dari, ut cordi præsidio essent. TULLIUS existimavit, iis, ornatûs causâ, mares instrui. BERENGARIUS, cui assensit HEISTERUS, eo inductus quòd vel in maribus contrectata papilla turgescit et se erigit, contendit, maribus mamillas idcirco donâsse Naturam, ut essent languenti veneri irritamentum.

VIII. Hujusmodi sanè opiniones novisse lubet; sed nulladum ea videtur, cui assentiri possimus. Attamen, cùm masculi recentèr nati

* Vid. MORGAGN. *Adversar. Anat.* V. Animadvers. I.

nati mamillis lac secernant, et fuerint vel adulti mares quorum mamillæ frequente suctu lac præbuerint; non dubitamus, quin has illis partes, non ad speciem solùm, sed etiam ad utilitatem, eamque magnam quamvis hucusquè incognitam, Natura dederit.

IX. Quadrupedum fœminarum unica abdomini subhæret mamma, *UBER* nominata; et, pro fœminarum genere, modò paucioribus instructa papillis, modò pluribus.

X. Sub communibus tegumentis, mammæ multo adipe, cùm speciei tum tutaminis causâ, involvuntur. Glandulæ, tegminibus et adipe nudatæ, sunt albidæ, figurâ inæquales; et compositæ ex compluribus massulis, quas intersepiunt, et à se invicem separant, interpositi processus telæ reticulatæ. Hæ ipsæ massulæ constant ex aliis minoribus, itidem interseptis et separatis, in quibus lac secernitur.

XI. In minoribus his massulis, ex perexiguis arteriarum surculis oriuntur cola plurima, quæ *LACTIFEROS TUBOS*, seu *DUCTUS*, medici nominant; et quæ undique, tanquàm radii eòdem vergentes, ad papillæ radicem contendunt.

dunt. Ea investit natura alba, firma, resiliens; quæ renitatur, ne, dum sugit infans, nimìs extendantur, et, finito suctu, faciat, ut se in pristinam contrahant longitudinem.

XII. *PAPILLA*, quæ ex mammæ centro eminet, figurâ cylindracea est; et colore subrubra, nisi quâ in parte radicem ambit circulus, *AREOLA* dictus, qui aliâ ætate alio colore est. Componitur papilla ex naturâ edurâ, reticulatâ, et resiliente, quæ cola lac ferentia includit, ipsa cuticulâ inclusa. Hæc cola, numero duodecim octodecimve, ejus basim intrant; dein ad apicem discreta pertinent, at flexuoso cursu, ne, ubì lacte exuberant, vel nullo sugente, sponte id effundant.

XIII. Existimabat MECKELIUS, lacteos rivos prope papillæ radicem, per rivulos intercurrentes, in se invicem patere. Sed, cùm humor, in unum ductum immissus, hunc et ejus ramulos impleat, neque in alium intereà ductum perlabatur, nihil est, quamobrèm inter se communicare credamus.

XIV. In naturam reticulatam patent plures ductus, tenues et longi; qui ad glandem propriè

priè non pertinent, sed quos putabat HALLERUS in lac adiposum humorem infundere.

XV. In mammas proficiscuntur *ARTERIÆ* ex *mammariis* tàm *internis*, quæ ipsæ *arteriis subclavianis* nascuntur; quàm *externis*, quæ *axillaribus*. Arteriæ, mammas uno plus loco ingressæ, per has quoquoversùm distribuunt surculos; quorum ultimi desinunt in *VENAS* conjugas et cognomines, quæ in *subclavianas* et *axillares* sanguinem confundant.

XVI. Ex *NERVIS* in mammas diffusis plerique ex *axillarum plexu* proveniunt; perpauci tantùm ex nervis *intercostalibus*.

XVII. *ABSORBENTIUM*, quæ ex mammis egrediuntur, pleraque per *glandulas axillares* transeunt; pauca, per costarum interstitia, prope os pectorale, transgressa, cursum per *glandulas mammarias internas* tenent.

XVIII. Fuerunt raræ fœminæ, quibus duæ plus mammæ erant; et paucæ, quarum uni mammarum plus una papilla. Unâ tamen mammâ papillâve redundantes videre, paucis tantùm contigit.

CAP. II.

CAP. II.

De mammarum augmine.

XIX. Mammæ utriûsque sexûs infantum, per paucos post partum dies, lacteum secernunt humorem, quem, ipsis ne mali quid afferat, alienis manibus emulgere haud rarò opus est. Hujusmodi verò humorem, quippe quem non diutiùs requirat vitæ ratio, brevi secernere desinunt.

XX. Tenerâ infantum et puellularum ætate, mammulæ succutanea tantùm tubercula sunt. Intereà, quippe immaturæ nequedum pulcherrimâ formâ amorem excitantes, tanquàm cruda poma, quæ, nondùm colorem dulcedinemque adepta, aspectu et gustatu parùm delectant, ità nullâ aspicientes permulcentesve voluptate afficiunt.

XXI. Appropinquante verò pubertate, quæ, cœlo nostro, decimo quarto quintove ætatis anno accedit, fœminarum corpora mutationes, fu-

turæ fœcunditatis prænuncias, subeunt. Non solùm enim mons VENERI sacer pubescit, et partes ad concipiendum aptæ in requisitam augescunt amplitudinem ; sed etiam mammæ, amoris invitamenta, sororiare incipiunt. Haud multò pòst hi lactei orbes, maturitatem adepti, et, tanquàm stellæ, micantes ; dum formâ pulcherrimâ, et decoris motibus, et quodam consentientium partium lepore, ad cupidinem excitandam inflammandamque conspirant ; apti simul fiunt, qui, perpetuæ generis conservationis causâ, lac præbeant, quod novum animal nutriat.

XXII. Ubì fœmina concepit, mammæ paulatìm augescunt, et, quàm anteà, magis extuberant. Areola simul ex colore florido languet in subfuscum. Fœtu edito, colis lacte distentis turgent, et pòst paulò in summam grandescunt magnitudinem ; neque priùs decrescunt, quàm infans fuerit lacte depulsus.

XXIII. Sic, ex quo tempore maturuerunt fœminæ, et evaserunt ad concipiendum aptæ, earum, gravidæ dum sunt et lactant, mammæ opere providæ solertisque Naturæ increscunt ;

et,

et, perpetuitatis causâ, fiunt idoneæ, quæ salubre tenero infanti et jucundum alimentum præbeant. Eædem verò decrescunt intervallis graviditatis et lactatûs.

XXIV. Ubì, declinatâ ætate, fœminæ, fœcunditate peractâ, effœtæ fiunt, mammæ, tanquàm ad speciem et generis perpetuitatem inutiles, marcent, flaccent, et pannosæ fiunt; atque, papillis adductis et livore squalentibus, diutiùs neque amantium oculos alliciunt, neque molles invitant contrectationes et compressiunculas.

> " *Flet* ——, *ut in speculo rugas aspexit aniles*,
> " TYNDARIS, *et secum, cùr sit bìs rapta, requirìt.*"
>
> OVID.

CAP. III.

De lactis secretione.

XXV. QUOMODO à sanguine lac secernatur, haudquaquàm satìs constat. De glandulis enim

enim nihil novimus, nisi quòd figurâ plerumquè globosæ sunt; earumque ex arteriarum surculis oriuntur cola, quæ secretum ex iis humorem efferant.

XXVI. Quum hoc mammæ cæteris glandulis differant, quòd proprium non omni tempore humorem secernunt; medici eum in finem animos agitârunt, ut cognoscerent, undè fiat, ut lac tùm tantùm, cùm requiratur, à sanguine separent.

XXVII. Contendunt nonnulli, id sanè ad quod probandum complura concurrunt, præsertìm mutationes quas simul subeunt, magnum mammis cum utero intercedere consortium. Hinc, ut putant, inter graviditatem, mammæ augescunt; et, fœtu excluso, sanguis, quem non potest accipere collabens uterus, in eas avertitur, ex quo lac secernant.

XXVIII. Mammæ, ut quibusdam videtur, per nervos, cum utero consentiunt; vel, ut YOUNGIO placet, partìm per hos, at maximè per arterias *. Quin, ut putat hic medicus, *epigastricæ*

---

* Vid. YOUNG. Dissertat. Med Inaug. *De lacte*, edit. secund. p. 5.

epigastricæ arteriæ, eæque uteri, per intercurrentes surculos paucos, inter se pateant, non dubitamus. Verùm non tamen idcirco concedimus, per hujusmodi surculos ex utero in mammas induci sanguinem, quo gravidarum mammæ turgescant, et, post partum, secernant lac quo infans nutriatur. Namque, si tali sanguinis circumductione augescunt mammæ, cur non itidem intumescunt renes, *ovaria*, *tubæ fallopianæ*, et ima intestina, quippe quibus etiam partibus quædam arteriarum communitas intercedat cum utero?

XXIX. Multo igitur nobis verisimilius videtur, mammas, constitutis Naturâ temporibus, augescere et lac secernere, ob sanguinem in eas, per compendiarias vias *subclavianas* et *axillares*, ex magna arteria distributum.

XXX. In mammis lac rarissimè antè incipit ubertìm secerni, quàm earum papillas infans tentavit sugere. Simul autem ut, insito appetitu motus, homulus, sine magistro, Naturâ duce, mammas appetit, et, ut earum ubertate saturetur, papillas ore apprehendit; tùm artificioso opere lac in rivulos allicit, simulque

facit

facit pressu omni externo sublato, ut ex patulis horum finibus in os effluat. Lacte exsucto, mammæ sanguine in eas copiosiùs derivato turgent, et novo pòst paulò lacte exuberant.

XXXI. Quin frequente sanguinis in mammas derivatione suctus faciat, ut lac secernatur, vix dubium est; quoniam, ut ferunt idonei auctores, nonnunquàm frequente suctu non adultarum modò virginum, itemque impuberum, sed marium quoque, mammæ lacte abundârunt.

XXXII. Disputatum inter medicos est, undè lac secernant mammarum cola. Putant plerique, HALLERO duce, id deducere ex sanguine, quem in mammas arteriæ distribuunt. Porrò existimat hic auctor, in secretum lac infundi unguinosum humorem ex tenuibus ductibus in telam reticulatam patentibus, quos suprà (XIV.) memoraverimus.

XXXIII. Alii sunt, qui contendant, ex *chylo* magis, quàm sanguine, lac secerni. Inducuntur, ut ità censeant, quòd, quò plus alimenti nutrix appetit, assumit, et concoquit, plerumquè eò plùs mammæ lacte exuberant: quòd

quòd *chylus*, quem ex jejuno intestino conducunt vasa lactea, proprietatibus lac multùm refert: quòd lac alimenta quædam subolet, aliasque etiam eorundem qualitates possidet: quòd, quo tempore *chylus* vasa bibula permanat, ut confundátur in sanguinem, eodem nutrices proindè sentiunt, aut, ipsarum linguâ, sentire videntur, quasi earum mammæ novo lacte inducto turgescerent.

XXXIV. Contra autem ea dici potest, quò plus edit et concoquit nutrix, fore, ut eò magis sanguine abundet omne corpus, eòque in mammis uberiùs lac secernatur: quantacunque similitudo virtutum lacti sit cum *chylo*, nulladum tamen experimenta comprobâsse tantam esse, quantam mente assumpserint medici: si, quòd lac alimentorum quorundam odorem, et alias etiam proprietates, retinet, æquum esset concludere, ex *chylo* separari; concedendum quoque esse, ex *chylo* secerni urinam et salivam, quippe cùm interdùm nonnullas quorundam alimentorum dotes possideant: et, quo tempore conductus per vasa bibula *chylus* in *subclavianas venas* confundatur,

tur, necesse esse, ut sanguis non solùm copiâ augeatur, sed etiam, in omnes corporis partes copiosiùs distributus, faciat, ut lac mammæ uberiùs secernant.

XXXV. Contrariis argumentis inter se comparatis, FOURCROIUS, quo, utì fusiùs nullus de animalium corporum humoribus disseruit, ità nemo solertiùs et accuratiùs, efficit; utì *lympha* sanguinis, quæ tùm maximè augetur, cùm absorptus ex alvo *chylus*, per vasa hinc profecta, in sanguinem confunditur, serum præbet, et pinguis humor infusus ex ductibus tenuibus, quorum suprà (XIV.) meminimus, butyrum; ità sanguinem suppeditare albumen et caseum *.

CAP. IV.

---

* Vid. FOURCROI. *Systême des Connaissances Chimiques*, Sect. viii. Ord. iii. art. xix. § 1. 7.

CAP. IV.

De mammarum morbis.

XXXVI. MAMMÆ, pariter ac aliæ pleræque glandularum, duritiis et carcinomati obnoxiæ sunt. His verò de morbis, quippe cùm non solùm gravissimos dolores moveant, sed etiam periculosi sint, et, nisi tempestivo ferro, vix, imò sæpissimè ne vix quidem, sanabiles, non possumus satìs fusè, pro magnitudine, disserere. Quinetiam de his productè dicere, nos à proposito abduceret. Quum ità sit, ad rem nostram sat erit, pressè eos morbos attingere, qui ex partu et lactatu oriuntur.

XXXVII. Horum verò præcipuus est *MASTODYNIA*, seu mammarum inflammatio. Antè incipit hic morbus, quàm infanti mammas mater admovit, et videtur ex nimia harum distentione oriri. In ptochotrophiis enim, in quæ gravidæ eum in finem accipiuntur ut pariant,

riant, modò, viginti post partum horis, mammas infantibus sugendas præbeant, vix septingentarum una harum inflammatione plectitur *.

XXXVIII. Hæc inflammatio, si interiores ceperit partes, magnum dolorem moveat et febrem, diùque continuet, non solùm obstat, ne mater infantem lactet, sed etiam præsentem à medicina opem requirit. At verò, cùm summam tantùm mammam afficiat, tempestivâ plerumquè medicinâ dissipari potest; neque impedit, quò minùs suo lac infanti mater præbeat.

XXXIX. Porrò, frequente suctu, et quâdam forsan infantis salivæ acrimoniâ, mammarum *PAPILLÆ* haud raró *RIMULIS* fatiscunt, quæ, nisi iis opportunè subveniatur, haud levem matri dolorem afferunt. Hujusmodi rimulæ vituperandâ nonnunquàm incuriâ abeunt in altas fissuras; quæ dein ipsæ desciscunt in ulcera mala,

* Vid. YOUNG. Dissertat. Med. Inaug. *De lacte*, edit. secund. pag. 7.

mala, neque curationem admittentia, quæ papillam, ex toto, depascuntur.

XL. Ne rimulis, quas capiunt papillæ, tanta mala superveniant, detergendæ sunt, primùm ut appareant, acri quâdam lotione, quæ earum sensum hebetet. Quinetiam, unoquoque suctu finito, cautè et lenitèr siccari debent, ne salivæ quid irritet. Porrò, quibus temporibus infanti non admoventur papillæ, oportet vitreis eas muniminibus tutare, ne quid mali à vestibus accipiant, externove appulsu.

XLI. Quòd si, omissâ rimulas curandi occasione, malove ipsarum habitu, inveterârunt, utilissimum medici comperti sunt iis linimentum, ex *oxydo plumbi semivitreo*, *oleo olivario*, et *acido acetico* compositum, inducere.

PARS

PARS SECUNDA.

DE LACTE.

XLII. His dictis de mammarum fabrica, auctu, usu, et morbis, propositi ratio postulat, ut pergamus distributè exponere, quæ sint nativæ lactis proprietates; quæ partes constituentes; quibus lac humanum ei viliorum quorundam animalium differat; et quæ denique notæ humani lactis bonitatem indicent.

CAP. I.

De nativis lactis proprietatibus.

XLIII. Genitivas lactis proprietates, quas sensus nostri judicant, multæ res sunt, quæ, proùt ipsæ varientur, plùs minùs perturbant.

Hujusmodi

Hujusmodi sunt diæta, cœlum, corporis valetudo, exercitatio, animi motus, aliæque res haud paucæ, quas non opus est ut hìc loci memoremus. Dummodò autem talibus causis lac non depravetur, proprietates, quas sumus dicturi, perpetuæ observantur.

XLIV. Genuinus humor lacteus gravitate aquam excedit eâdem ferè ratione, quâ numero notæ 10,203 notas 10,000. Albidus est, in sufflavum paululùm inclinans. Luci impervius. Tenuior oleo, aquâ spissior. Gustatu mitis, subdulcis, jucundus. Nares delectat gratissimo odore; quem frigidus retinet, tepefactus denuò exhalat, prorsùs verò amittit fervefactus *.

CAP.

* Vid. FOURCROI. *Systême des Connoissances Chimiques*, Sect. VIII. Ord. III. Art. XIX. § II.

CAP. II.

De constituentibus lactis partibus.

XLV. Lac vaccinum mediocri calore subdito expandit sese, et turgescit. Calore, quem indicat centesima nonagesima nona *Fahrenheitiani thermometri* nota, effervescit; et, à summâ parte, casearia natura coit in pelliculam, quæ supernatans adducit sese, siccescit, et siccescens flavescit. Lac, vaporatione spissatum, in grumos coit, qui caloris augmine fulvum colorem trahunt.

XLVI. Lac idoneo apparatu vitreo, aquâ fervente calefacto, inclusum, præbet aquam nullius ferè odoris, fatuam, et insulsam; quæ tempore et quiete deponit leves flocculos, et fœtida fit. Lac, aquâ sic separatâ spissatum, coit in grumos; qui caloris augmine residuum præbent, quod, ipsorum linguâ, EXTRACTUM appellant *chymistæ*. Ex hoc in va-

sis

sis vitreis incluso eliciuntur, intensiore calore subdito, aqua turbida, subrubra, fœtida, *acido zoonico*, et *ammoniacâ* onusta; oleum liquidum, fuscum, copiâ haud parcâ; oleum *empyreumaticum*, quod frigescens concrescit; *ammoniacæ carbonas*, qui, dum frigescit, sese figurat in consimiles chrystallos; *gas hydrogenium carbonatum*; et *gas acidum carbonicum*. Post hæc opera, superest de lacte carbonaria tantùm natura; in cujus cineribus, in quos redegit ingens vis ignea, deteguntur *murias sodæ*, *murias potassæ*, et *phosphas calcarius*.

XLVII. Aëre et quiete lac omnium animalium sponte abit in tres naturas, oleosam nempè, coagulationi opportunam, et aquosam; quæ *FLOS*, *CASEARIA NATURA*, et *SERUM* nuncupantur.

XLVIII. Ex his naturis, flos cæteris se primùm expedit; et citiùs et uberiùs, si coctum lac sit, vel aëris perflatui expositum. Cæteris paribus, quo senius animal est, et quo diutiùs partum lactavit, eo ejus lac plus floris præbet. Flos non merum lactis oleum est, sed hoc oleum cum pauxillo casei et seri commixtum.

mixtum. Flore verò agitato, oleum ex his naturis se prorsùs separat, et *BUTYRUM* nominatur. Cæteræ floris partes, ab oleo derelictæ, easdem subeunt mutationes, quas privatæ flore cæteræ partes lactis.

XLIX. Recens butyrum oleo terrâ natis expresso, et animalium unguini, persimile est; atque, pariter ac ea, brevi rancescit. Obstari tamen, sero prorsùs expresso, deinque immixto sale communi, potest, ne hoc vitium capiat.

L. Post paucos dies, lac paululùm acescit, et coit; dein à concretâ naturâ, seu caseariâ, aquosæ recedunt. Licèt nondùm acuerit lác, potest tamen coagulo quolibet indito cogi, præsertìm verò humore, in quo fuerit vituli stomachus aliquandiù maceratus. Coacta sic natura interstitiis aliquid seri continet, quod tamen excernit compressa. Sero sic liberata *CASEUS* appellatur; qui, quippe cùm in putredinem proclivis sit, et alias porrò habeat proprietates sibi cum animantium naturis communes, potest *ANIMALIS* lactis *NATURA* nominari.

LI. Aquosa

LI. Aquosa lactis natura, quæ *SERUM* nuncupatur, et septem octavas totius lactis partes æquat, rarissimè à caseariâ naturâ et butyro pura invenitur. Ei prætereà inest dulcis natura, quæ *LACTIS SACCHARUM* appellatur; facitque, ut procliviter fermentescat primùm, dein acescens vertat se in acidum, quod *SACCHOLACTICUM* dicitur. Sero porrò lactis inhærent sales quidam, ut *murias potassæ*, *murias sodæ*, et haud scio annon etiam alii.

CAP. III.

Quibus lac humanum, et id viliorum quorundam animalium, inter se differant.

LII. Hìc loci, haud à re nostra alienum erit, lac humanum, et id aliorum quorundam animalium, inter se comparare, ut appareat, quibus inter se differant.

LIII. *LAC HUMANUM*, quod, primo post partum die, fœminæ mammæ præbent, aquæ,

quâ solutum sit saponis pauxillum, simile est; et ei quiescenti supernatant pauci flocculi, qui nihil butyri præbent. Reliqua pars lentescit, acescit, brevi putrescit, et nihil ferè caseariæ naturæ continet. Dein lac quotidie albescit usquè ad quintum diem, quo ferè die indubias veri lactis proprietates nanciscitur.

LIV. Flos plerumquè perliquidus est, albus, et parcus. Siquandò paulo spissior, suggerit pauxillum butyri, sufflavi, et usitati saporis. Nonnunquàm tamen butyrum, quippe quod non eâ naturâ sit ut concrescat, se à flore recusat separare.

LV. Lac humanum coactu difficillimum est. Enimvero aptum esse, quod coaguletur, omninò negavit CLARKIUS: qui, periculis factis, concludit, nullam ei inesse naturam, quam *alcohol*, aut acida, aut humor quo fuerit infantis stomachus aliquandiù maceratus, possit cogere; et naturam caseariæ subsimilem, quam nonnunquàm revomant infantes, tantùmmodò lactis florem esse, qui, ob comparativam levitatem, cæteris stomacho inclusis supernatans, vomitione motâ primus rejiciatur.

LVI. Existimavit

LVI. Existimavit contrà YOUNGIUS, etiamsi lac non ejusmodi esset, ut solitis coagulis concresceret, tamen in stomacho infantis spontè coivisse. Vel hìc verò non concrescere, sibi visus est CLARKIUS comprobare. At FOURCROIUS tamen ex PARMENTIERIS et DEJUVII experimentis efficit, humanum lac iisdem cogi coagulis, quibus vaccinum; et coactum præbere, at parvâ duntaxàt copiâ, caseariam naturam, quæ ferè mollis sit, pinguis, parùm tenax, cujusque particulis nihil ferè seri interlateat.

LVII. Aquosæ naturæ, quæ est nullius ferè coloris, inest multum sacchari, *sodæ muriatis* parum.

LVIII. *LAC VACCINUM* non solùm flore abundantius, quàm humanum, est, et spissius, et flavius; verùm etiam præbet butyrum, quod aliquandò quidem pallidius est, sed sæpè coloratius et crassius. Casearia natura, præ ea humani lactis, est copiosa, glutinosa, et interstitiis multum seri continet, quod, levi compressione adhibitâ, exsudat. Serum ex flavo subviride

subviride est, gustatu dulce, et salibus exuberans.

LIX. *Lac asininum* humano assimillimum est; nisi quòd butyrum, quod præbet, procliviùs rancet, et casearia natura non unctiuscula est.

LX. *Lac caprinum* flore, butyro, et caseariâ naturâ exuberat. Flos albior est, quàm is vaccini lactis, spissior, et minùs aptus qui acescat. Butyrum à flore facile separatu est, album, densum, molle; et non, nisi tardè, rancet. Casearia natura densior est, quàm ea lactis vaccini, et interstitiis minus seri continet. Hoc serum est sacchari ferè expers, et nihil propè salis habet, præter pauxillum *muriatis calcarii.*

LXI. *Lac ovillum* suppeditat flavum florem, qui, nisi sapore proprio, ei, quem præbet vaccinum, nihil differt. Butyrum semper molle est, sufflavum, et aptum quod citò ranceat. Natura casearia unctiuscula est, glutinosa, coactu difficilis; et casei, in quos formatur compressa, pinguem capiunt crustam, quæ ægerrimè et arescit, et rimis fatiscit. Serum

est

est ferè semper nullius coloris, fatuum, parum sacchari continens, at perpauxillum *muriatis phosphatis*que *calcarii.*

LXII. *Lac equinum* dat florem, qui bono lacti vaccino recenti, quod florem nondùm tulit, assimilis est. Butyrum, quod flos non nisi ægerrimè præbet, parùm spissum est, et facilè inclinat in rancorem. Natura casearia, quâ sanè parùm abundat, ei persimilis est, quam suppeditat lac humanum. Serum nullius ferè coloris est; saccharo, quod continet, ab asinini lactis sero proximum; et, quàm id lactis cæterorum animalium quæ memoravimus, salibus abundantius *.

CAP. IV.

De boni lactis notis.

LXIII. Lac humanum aliâ fœminarum victûs et vitæ ratione aliud est. Cibi, quos terrâ

* Vid. Fourcroi. *Systême des Connaissances Chimiques,* Sect. viii. Ord. iii. Art. xix. § vii.

râ nata suggerunt, meliùs et uberiùs, ut putat CULLENUS, lactescunt, quàm qui ex carnibus bestiarum parantur; neque tamen lac nutricum, quæ illis maxima ex parte vivunt cibis, solito est aptius, quod in stomachis infantum acescat.

LXIV. Bonum autem lac gustatu mite et dulce est: ex albo colore in subcœruleum inclinat: odoratu jucundum est, et mediocri lentore. An idoneâ verò spissitate sit, cognitu facillimum est, ex guttulâ in unguem digiti manûs instillatâ. Hæc enim, dummodò lentior justo sit, motu digiti ægrè, aut omninò non, in devexum unguis marginem delabitur; contrà, si tenuior, defluit, nullo lacteo alveo relicto; at verò, si mediocri sit et salutari lentore, sic decurrit, ut lacteam viam relinquat. Bonum etiam lac ejusmodi est, ut, in oculum instillatum, nullum moveat dolorem.

LXV. Quum verò non omnes æquè fœminæ lactantes, quibus salutaris vitæ et victûs communitas sit, bonum lac præbeant, operæ pretium est obitèr dicere, quibus optimè notis bonæ nutrices cognoscantur.

LXVI. Quid

LXVI. Quid majus voveat dulci infanti pia mater, quem mammis ipsa nequit nutrire, quàm ut illi contingat nutrix non primipara; mediâ ætate; munditiæ studiosa; subrufo oris subfuscove colore, potiùs quàm russo aut rubente; habitior paulo, at, utì non macilenta, ità neque pinguis; dentibus bonis nitidisque decora, oculis vegeta, gingivis sana; lacteis orbibus mole, firmitate, prominulâ areolâ, cœruleâque venarum varietate speciosis ornata; munditiis simplex; bonâ corporis constitutione et formâ; hilaris, et, utì ad iram tarda, sic irata placabilis; vitæ integra, et sceleris animique morsiuncularum pura; sana ipsa probaque, sanis probisque nata parentibus. Tali enimvero nutrice,

"——*Nihil majus, meliusve terris*
"*Fata donavere, bonique* DIVI;
"*Nec dabunt, quamvis redeant in aurum*
"*Tempora priscum.*"

HORAT.

PARS

PARS TERTIA.

DE LACTIS USU; ET NUMNE INFANTIBUS ÆQUE, AC LAC HUMANUM, ALIBILE SIT SUCCEDANEUM ALIMENTUM.

LXVII. Duabus quadripartitæ orationis partibus absolutis, proximum est, ut exponamus, cui usui lac sit, humanum potissimè; et quæramus, quantùm detur occasio, utrùm infantes, qui lacte humano nutriantur, an qui sorbilibus cibis bestiarumve lacte, meliùs crescant.

CAP. I.

De lactis usu.

XLVIII. Foeminæ eum in finem Naturâ constitutæ videntur, ut lac secernant, quo partus nutriant. Lac, quod primum secernunt puerperarum

perarum mammæ, ejusmodi est, ut alvum moveat, et *meconio* eam exinaniat, aliisque, si qua, irritantibus.

LXIX. Paucos post dies, lac idoneum est, quod delicato infantis stomacho facilè concoquatur, deinque vertat se in bonum sanguinem, qui tenerum corpus benè nutriat. Quinetiam eâ naturâ est, ut, dum corpus salutariter alit et sustentat, non ultra modum stimulat quem tutò pati potest. Matri porrò ipsi utile est; præsertìm cùm faciat, ut dissipentur humores, qui, dum utero gerebat, locos distendebant.

LXX. Quo autem lac modo infantum stomachis concoquatur, à medicis disputatum est. Qui credunt, lac nihil ferè aliud esse, quàm nutricis *chylum*, iidem existimant, insigni Naturæ bonitate nutricem, magna ex parte, concoquere alimentum, quo infans nutriatur; et hoc, ex ejus mammis exsuctum, in stomacho et intestinis infantis nullam subire mutationem, sed tantummodò lacteis vasis insorberi, ut in sanguinem conducatur.

LXXI. Suprà, hanc sententiam, utpote assumptionibus tantùm suffultam, falsam esse, probare conati sumus. Nostrâ ætate, plerique censent, lac coagulari in stomacho infantis; dein, similiter atque alia concreta, succo hujus receptaculi proprio in liquidam naturam verti; ex quâ, in summo intestino cum novis naturis commixtâ, efficiatur novus humor, qui in pulmonibus in sanguinem sese vertat.

LXXII. Utì lac humanum, per complures menses, infantibus solum ferè alimentum præbet, ità, post delactationem, homines, præsertìm ruricolæ, bestiarum lacte, ex parte, aluntur. In multis enimvero orbis terrarum partibus, lac solum alimentum est, quod hominum generi suggerunt animantes. TARTARI enim, et alii rudes et agrestes homines, quò malam potandi cupidinem, iis cum cultis hominum haud paucis communem, expleant, artificioso opere convertunt in potum inebriantem, quem *CUMISSAM* nominant.

LXXIII. Adde huc opem, quam à lacte bestiarum medicina trahit, ut morbos arceat, ægrisve opituletur. Medici, hos in fines, phthisicis

phthisicis et podagrosis præcipiunt, ut, magna ex parte, lactentibus et farraceis vescantur. Quippe hâc diætâ putant, vires satìs sustineri et conservari; neque tamen corpus, ultra salutarem mediocritatem, incitari, aptumve reddi, quod levibus causis febricitet.

LXXIV. Huc adde salutem, quam ex novo lacte hausto accipiunt miseri, qui fortuitu, aut malo aliorum dolo, aut suâ ipsi nequitiâ, venena assumpserunt. Ne sic infortunio pereant, aut suâ aliorumve turpitudine, oportet, modò nulla adsint antidota, quamprimùm plenos novi lactis haustus devorare. Fieri enim potest, ut hic humor aut fusum venenum diluat; aut concretum dividat; aut ipsum sic illinat stomachum, ut nullum, saltemve minus, à veneno, sive liquido sive concreto, detrimentum capiat; aut denique tepore vomitum moveat, quo venenum, re infectâ, rejiciatur.

LXXV. Quid de morbis dicam? eos intelligo pulmonum, ad quos curandos lac quorundam animalium peculiaritèr efficax putatur. Ut lacti hujusmodi morbos curandi vim attribuerent

buerent medici, tantisque idcirco laudibus in scriptis celebrarent, magis, ut nobis videtur, ex libidine, quàm ex vero, inducti sunt.

LXXVI. Lac quidem humanum, itemque equinum, et asininum, quippe quæ caseariâ naturâ parùm abundent, non implent corpora eorum, qui iis aluntur, aptave reddunt, quæ incidant in morbos, qui oriantur plenitudine.

LXXVII. Lacte denique bestiarum homines, non solùm ad lintea, xylina, itemque lanea dealbanda, sed etiam ad vina defæcanda, abutuntur.

CAP. II.

Num infantes humano lacte nutriti, et ii vicario alimento, æquè benè crescant.

LXXVIII. Natura cujusque animantium generis fœminas sic constituisse videtur, ut lac, quod secernant puerperæ, ex se natos saluberrimè nutriat. Ità verò, nostrâ ætate, se

mores

mores habent, ut plurimæ fœminæ, præsertìm splendidæ et luxuriosæ, quibus domi se continere, atque liberorum lactatui et curæ se immiscere, intolerabile onus et tædium est, à tenero partu mammas crudelitèr et impiè alienant; et, si non possint stipendiariam parare nutricem cui subrument, aridæ mercenariæ committunt sorbitione bestiarumque lacte alendum. Tener infans, fari, quid desideret undèque doleat, nescius, omnium animalium maximè adventitiæ opis egenus, à matre derelictus ut alienis manibus et cibis nutriatur, acutis sæpè morbis intercipitur.

LXXIX. Quòd si, ut interdum, suum ipsa mater infantem neque mammis nutrire potest, neque mercenariam conducere quæ nutriat, opus est parvulum succedaneis pascere alimentis. Hunc in finem, vice humani lactis, substituendum est lac eorum animalium, quæ terrâ natis vescuntur, et præbent lac humano simillimum. Ne verò hujusmodi lac vicarium acescat, ei, ut monent nonnulli, immiscendum est coactum ex cervi cornu jusculum,

aliisve

aliisve quibusdam naturis, quas animalia suggerunt.

LXXX. Quanquam infantibus, qui humano lacte non nutriuntur, nulla his, quæ memoravimus, melius vicarium alimentum præbent; tamen teneri, quibus matris culpâ infortuniove contigit iis nutricari, non solùm tardiùs crescunt et vegent, sed etiam cæteris aptiores sunt, qui acutis morbis corripiantur et pereant *.

LXXXI. Nemo, mehercule, potest satìs improbare eas nutrices, quæ, pravâ consuetudine inductæ, fastidiente et respuente naturâ, infantibus, quò esurientes saturent, in os ingerunt farraceos cibos aliosque sorbiles, quos, præ stomachi teneritudine et imbecillitate, non

---

* Apud HYPERBOREOS, matres duos tresve tantùm dies infantibus lac præbent, dein lacte alunt vaccino. Indigenarum perpauci duntaxat quinquaginta sexagintave annos vivunt. Plurimi mediâ ætate gravissimis morbis intercipiuntur *.

* Vid. TROIL. *Letters on Iceland.* Let. xi.

non possunt concoquere. Tales enim cibi non solùm tenerum ventriculum gravant et irritant; sed etiam gignunt cruditates, quæ contagione et mistu idoneum sic corrumpunt alimentum, ut confici, deinque in sanguinem verti, non possit.

LXXXII. Infans, sic malè nutritus, adeò non optatam adipiscitur corporis firmitatem, ut debilis fiat, neque rarò lentâ tabe consumatur. Vel, si rarâ constitutionis bonitate non primo vitæ limine præmoritur, eum aut edaces postmodùm prædantur vermes; aut torquent nervorum distentiones; aut ossium mollities deformat; aut scrofula, colli glandulas depasta, cicatricibus deturpat; aut alia infelicitant mala, quæ, quanta fuerint, mors primùm ostendit *.

LXXXIII. Haudquaquàm tamen mihi in animo est asserere, infantibus, per totum æquè tempus dum lactentes sunt, omne aliud alimentum,

* Vid. UNDERWOOD. *Diseases of Children*, vol. II. p. 217.

mentum, præter lac humanum, denegandum. Nutricibus enim permittatur, ut quinquemestribus semestribusve, at rarissimè ætate tenerioribus, statutis temporibus interjectis, in ora inserant mitiora quædam sorbilia; exiguâ primùm quantitate, deinque paulatìm majore, proùt ferre et concoquere eorum stomachi assueverint.

PARS

PARS QUARTA.

DE MALI LACTIS INDICIIS ET CAUSIS; ITEMQUE DE MORBIS, QUI EX EO ORIANTUR.

LXXXIV. Expositis boni lactis usibus, ratio propositi exigit, ut in hac ultima orationis parte explanemus, quæ sint mali indicia et causæ; deinque ostendamus, quos infantibus morbos afferat.

CAP. I.

De mali lactis indiciis.

LXXXV. Notæ, ex quibus observatis cognoscant medici, lac malum esse, iis contrariæ sunt, quas suprà diximus bonum ostendere.

LXXXVI. Quanquam mali lactis color aliàs alius est, id tamen lac haud bonum est, cujus candor non in cœruleum paululùm vergit. Neque enimvero id bonum, quod injucundum odorem exhalat, et gustatu subsalsum est aut subamarum. Mali quoque lactis indicium est, ubì guttula in oculum instillata dolorem excitat. Malum etiam lac est, quod spissius est aut tenuius, quàm ex consuetudine. Id denique lac pessimum est, quod quiete vel coagulatione abundat, præter modum, flore, et naturâ caseariâ *.

LXXXVII. Ex vehementibus animi concitationibus, lac aliquandò humanum pravam concipit indolem, quam, etiamsi gravibus nonnunquàm malis infantem afficiat, sensibus tamen percipere non possumus. Numne verò turbatis animi motibus constituentes ejus partes mutentur, quæstiones *chymicæ* nondùm patefecerunt.

LXXXVIII. Ex

* Vid. ROSENSTEIN. *On the Diseases of Children*, pag. 3.

LXXXVIII. Quinetiam incognitis aliquandò causis, quæ aliquo nutricem modo malè afficiunt, lac nocivas acquirit proprietates, quæ ex malis tantùm cognoscuntur, quæ infantibus afferunt.

CAP. II.

De mali lactis causis.

LXXXIX. Ex humoribus, à sanguine per glandulas secretis, nullus fortuitis causis tam facilè depravatur, quàm lac, quo infans nutritur. Cùm ità sit, non mihi in animo est aggredi omnes enumerare causas, quibus hoc in pejus mutetur, sed duntaxat eas, quas accuratissimè observatas habeant medici. Quæ itaque hæ sint, paucis dicemus.

XC. *INVALETUDO* nutricis vel levissima, mirum nonnunquàm in modum, lac vitiat. Quippe debilitas, cujus mammæ, paritèr ac

aliæ

aliæ glandulæ, participes sunt, haud dubiè facit, ut languentes proprium humorem secernant parciorem, quàm quo infans benè alatur. At verò matris morbis lac non solùm justo parciùs secernitur, sed etiam alienas haud rarò adipiscitur proprietates, quibus tenero infanti multùm nocet. Lactantes enim, quæ ephemerâ lacteâ, alvi profluvio vel duritiâ, urinæ difficultate vel impotentiâ, stomachi defectu concoquendive difficultate afficiuntur, lac insalubre præbent, quo infantis valetudo perturbatur. Mirum est, at verum tamen, ut à SWIETENIO * et HEBERDENO † accipimus, fœminas morbo regio flavas lac tamen bonum, neque infanti nocivum, nonnunquàm suppeditare. Nunquandò acribus puerperarum purgationibus absorptis lac vitiatur?

XCI. *Diæta* quoque suâpte naturâ insalubris, stomachove aliena, lac plùs minùs pravum

* Vid. SWIETEN. *Comment. in* BOERHAV. *Aphorism.* tom. iii. p. 143.

† Vid. HEBERDEN. Commentar. *De Morbor. Histor. et Curat.* p. 210.

vum reddit. Herbæ enim alliatæ; cibi, qui stomachum inflant; et luxuriosæ dapes, quales nutrix non assuevit assumere et concoquere; itemque carnes sale conditæ, piscatusque; quippe cùm stomacho aliena sint, et concoctu difficilia, lac insalubre suggerunt. Nutricibus quoque, quæ student bonum lac præbere, alieni sunt potus meraciores, ut *alcohol* multigenum; quippe cùm vel modico usu nervos stupefaciant, et plùs minùsve perturbent valetudinem. Neque enimvero nutrici conveniunt quotidianæ *theæ* et *coffææ* potiones: quippe hujusmodi potulenta, superquàm quòd tepore nutricis stomachum resolvunt, ac totum quidem corpus, et valentiorum esculentorum potulentorumque creant fastidium, præbent lac tenuius, quàm quo infans benè nutriatur.

XCII. *Pigritia* etiam causis annumeranda est, quæ lac malum reddunt. Nutricum, quæ seu vituperandâ ignaviâ, seu miserandâ infirmitate, sese non satìs exercent, lac optato spissius est, et aptum quod acescat.

XCIII. *Alvi* porrò *morbi* haud raròfaciunt, ut lac malo sit habitu, et malis tenerum infan-

tem

tem afficiat. Ubì enim nutricis alvus, præter consuetudinem, tarda est citave, vel torminibus vexata, infans, quem lactat, iisdem haud raró malis affligitur.

XCIV. *Menses* item, siquandò inter lactatum redeant, lac raró non depravant. His enim intempestivè abundantibus, sanguis à mammis, ex parte, avertitur in uterum; et, quod intereà lac secernitur, id non solùm parcius justo est, sed etiam infirmius.

XCV. *Animi perturbationes*, utì nutrices plurimùm commovent, ità potentissimæ causarum sunt, quibus lac infantibus nocivum redditur. Nemo medicorum ignorat, quantis insontem infantem malis afficiant nutricis ira, mœror, pavor, zelotypia, aliique turbati animi motus. Quo veró modo hujusmodi animi ægritudines lac pravum reddant, et quid sit ipsa pravitas, nullus dum explicare potuit.

CAP. III.

CAP. III.

De malis, quæ infanti lac insalubre afferat.

XCVI. Infantem, cum lacte quo nutritur, sugere quædam, quæ tam corpus quàm animum in similitudinem eorum nutricis conforment, in proverbium venit. Enimvero, non solùm morbi nutricis in alumno reviviscunt; sed etiam animus et mores, imò haud rarò ductus oris et vultus. Multùm sanè, ad renatam hanc similitudinem efficiendam, valent exemplum et imitatio; sed, ni multùm fallimur, aliquid etiam lac, quo tenerum corpus reficitur et sustinetur.

XCVII. Neque, enimvero, hoc mirum. Namque mammis non cum cætero modò corpore consensus est, sed cum animo quoque. Quin hoc mammarum et animi consensu lac afficiatur, nemo medicorum quisquam potest dubitare; quum quotidie videat, quid mali à lacte

nutricis

nutricis animo turbatæ infans accipiat. Qualis verò consensus nutricis animo est cum corpore, talis animo infantis intercedit cum corpore; et lac, modò possit corpus afficere, poterit etiam afficere animum.

XCVIII. Rem verò, naturâ tam obscuram et reconditam, satìs lucidè, pro magnitude, exponere non possumus. Cùm ità sit, sat ad rem nostram putabimus præcipua attingere mala, quæ pravo lacte oriantur.

XCIX. *Debilitas.*—Si causis, quarum suprà meminimus, nutrix malè se habeat, velut diætâ imbecillâ, intempestivis mensibus, socordiâ, aliisve, secernunt mammæ lac infirmius, quàm quod infantem benè sustineat. Nutrimenti penuriâ parvulus languescit; et, ni tempestivè valentiori nutrici committatur, acuto morbo intercipitur, aut lentâ tabe perit, aut ossium mollitie deformatur. Quinetiam potus meraciores et medicamenta, quæ eâ naturâ sunt, ut nervos primùm nimìs stimulent dein stupefaciant, non eadem modò infanti, quæ nutrici, mala afferunt, verùm multa insupèr mala, quæ debilitate oriuntur.

C. *Labes*

C. *Labes* porrò quædam, ex qua, tanquàm seminio, seriùs ociùs, vitâ progrediente, certi morbi reviviscunt et revirescunt, à nutricis lacte, ut plerique putant medici, derivatur. Ebriositatem, quo sanè vitio utì nullum perniciosius, ità nullum turpius homineve indignius, cùm vulgus hominum, tum medici, labi à multibibâ merobibâque nutrice derivatæ attribuunt. Nutricis quoque lacte infantes nonnunquàm apti redduntur, qui infantili et puerili ætate strumâ deturpentur, quosve adultâ pulmonum tabes consumat.

CI. *Morbi.*—Neque, enimvero, nutricis lacte infantes in morbos proclives solùm fiunt, sed et ipsis aliquandò morbis inficiuntur; *lue* nempé *venereâ*, *scorbuto*, morbo regio, *variolâ*, et haud scio annon etiam aliis. Quæ enim his morbis laborat nutrix, ejus sanguis, aut alienâ naturâ innatante, aut turbatâ constituentium inter se partium ratione vitiatus, non potest esse fons, ex quo sincerum lac et salubre derivetur. Lac impurum, hinc deductum, infantis nonnunquàm sanguinem inquinat, et morbos iis nutricis consimiles et

congeneres excitat. Meminit Baumesius de ictericæ nutricis infante, qui ictero perivit, et cui, ante mortem, omnia jecinoris interanea abscesserant.

cii. Quidam *cutis* etiam *morbi* à malo nutricis lacte oriuntur; præcipuè, ut putat Astrucius, is, quem *crustam lacteam* nominant medici. Hic morbus fronti, pilosæ capitis parti, et dimidiæ aliquandò faciei, crustas amplas, tetras, et squamosas inducit. Attamen, utì non periculosus est, sic nulla requirit medicamenta, nisi lene catharticum.

ciii. Alius morbus *herpeti* subsimilis, cui obnoxii sunt infantes insalubri lacte nutriti, afficit eas cutis partes, quas, præ cæteris, vestes exasperant. Eos præcipuè infantes putatur infestare, qui nutriuntur lacte vetustescentis nutricis, eove quod gustatu injucundum est. Nullum affert periculum, at, ne inveterascat, utile est nutricem mutare*.

civ. *Vomitus*

* Vid. Underwood. *Diseases of Children*, vol. i. pag. 96.—104.

CIV. *Vomitus* et *alvi fluxus* nonnunquàm lactis acrimoniâ moventur. Aliæ autem præterea causæ sunt, quæ alvi proluviem cieant; ut suctus nimìs frequens, nutricis tormina, vel lac ex mammis nutricis mane jejunæ exsuctum *.

CV. *Convulsiones*, naturâ semper horrificæ, sæpè etiam periculosæ, nonnunquàm, ut putant medici, oriuntur ex lacte justo spissiore; fortassè autem sæpiùs lacte nutricis iratæ vel perterritæ. Brevi, postquàm infans lac suxerit nutricis irâ commotæ vel terrore perculsæ, flavescit paululùm, aut lac stomacho alienum revomit; neque multò pòst miserabilitèr vagit, omnem ægrè fert posituram, timet ex somno; demùmque nervorum distentionibus corripitur.

CVI. Sed, quomodò animi perturbationes lac depravent, et lactis pravitas excitet nervorum distentiones, non possumus explicare. Satìs tamen constat, aliquâ lactis pravitate nervos distendi; quia, etiam post tranquillatum nutricis

* Vid. Rosenstein. *Diseases of Infants*, pag. 48.

tricis animum, infans horum tamen distentione afficitur, si mammis antè admoveatur, quàm ex his lac, tùm secretum cùm commovebatur animus, fuerit alieno ore exsuctum.

CVII. *Alia mala* haud pauca nascuntur, ut existimant medici, ex lacte in stomacho acescente. Tres omninò causæ sunt, ut opinatur Cullenus, quibus lac potest acescere; nempè quædam aut ipsius proclivitas, cæterorumve assumptorum, aut ipsius infantis ventriculi imbecillitas.

CVIII. Lac suâpte naturâ ad acescendum non aptum esse, propter eà putat hic medicus, quòd iisdem nonnunquàm malis pòst urgetur infans, quàm nutrix, mutatâ diætâ, iis vivit alimentis, quæ ejusmodi sunt ut non acescant. Ad Culleni sententiam accedit Clarkius * : qui periculo compertus est, lac humanum, in phialâ haud ità accuratè obturatâ, loco tepido servatum, post duos annos primùm acescere; dum lac vaccinum, omnibus iisdem, paucis diebus prorsùs computruit. Consentiunt autem

* Vid. *Transactions of the Royal Irish Academy* for 1788.

tem hi auctores, fieri posse, ut, in stomacho infantis, lac humanum seu cæterorum ingestorum proclivitate, seu ipsius stomachi invaletudine, aliquantùm acescat; at minùs tamen et rariùs, quàm famâ medicorum feratur.

CIX. His cognitis, verisimillimum videtur, infantum mala, quæ ad lactis acorem tot medici referant, aliis causis attribuenda. Quæ verò hæ sint, à re nostra alienum esset anquirere.

FINIS